



Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonius Dialogus. Activs Dialogus. Aegidius
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

Diuisio in locos, Dicta, Ridicula, Fabellas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

ac coronatum ad utilitatem et communem et privatam, tum etiam
ad iucunditatem, relaxandosq; ab labore, ac curis animos. Tametsi lo-
ci ipsi sunt communes, et quod Cicero dicit, quibus e locis ridicula du-
cantur, ex ipsis graues possunt duci sententiae, idem nos quoq; sen-
timus, posse deduci quoq; et que dicta in spurciam delabantur, atq;
scurrilitatem, et que in leporem, atq; urbanitatem, Alteri enim loci
et rebus, et uerbis modum statuunt, alteri in risum propendent atq;
scurrilitatem. Modus igitur his accedere potest ac ratio, quo scurrilitas
omnis absit iocantibus. Quod officium delectus est proprium tum in
rebus, tum in uerbis. Verum ob scenitas plerūq; est in uerbis, scurrili-
tas in utrisq; potius, siquidem scurrile habetur, quem minime debeas
eum dictis laceſſere. Quando (ut est apud Ciceronem) que cadere pos-
sunt in quos nolis, quamuis sint bella, sunt tamen ipso genere scurri-
lia. Nimiris igitur false dicta, aculeataq; atq; in quos minime conne-
niat, scurrilia et ipsa sunt. Possunt tamen et faceti homines in con-
fessiōibus, coronisq; ut qui referant quidem dicta, emissāq; ab alijs,
non ut qui ex se se dicant, ingerantq; in quempiam, quandoq; et
mordacia afferre in coētum, quasi ea in memoriam reducant, idq; exē-
pli gratia, non tamen mordaciter, scurriliq; minime scurriliter, sci-
licet ut uerbis parcatur, et gestibus. Quod in referendis fabellis prae-
cipue usiuuerit, ut que in illis insint turpia, explicentur non turpiter, in
terdum uero innuantur, potius quam dicantur.

Divisio in Locos, Dicta, Ridicula, Fabellas.

Quae quo expressius a nobis ostendantur, ea partiemur in Locos, in Di-
cta, in Ridicula, ac Fabellas. Totum autem ipsum genus est iocari. Io-
ca uero et dictis constant, et ridiculis, et fabellis, ac dicta quidem
alia lepida, alia salsa sunt, alia et salsa simul et lepida, alia obsena,
dicta, eaq; non unius generis, alia brevia, atq; ex uno tantum uer-
bo, alia e pluribus confituta. Sunt contra inepta quedam, insulsa,
fatua, illepidia, frigida. itaq; multimoda ipsa quidem sunt, Ridicula
quoq; non unius sunt naturae, alia enim faceta sunt, alia uero minime.
Itaq; species haec indagationi huic nostrae minus congruit, quippe qui
relaxationem queramus, que facetudinis est alumna. Fabellae iucun-
dissimae ipse sunt, atq; ad omne facetiarum genus accommodatae, lo-
cisq; omnibus congruunt, si non fortasse temporibus, quanquam et tem-
poribus, et item personis, si delectus accesserit, Quarum duplex est
genus, unum quod sumptum est a multis animalibus in exemplu, qua-

DE SERMONE

les Aesopicæ ferè sunt fabulæ, & carum similes, aut à rebus minime sentientibus, ut ab herbis, arboribus, lapidibus. ut quæ in senatum Romanum introducta fuit contentio uenitris aduersus cætera corporis membra, ut quæ de Phocione refertur aduersus exactores pecuniaæ uiritim conferendæ ad sacros quosdam ludos Athenis publice institutos. Alterum, quod siue fictum, siue uerum, uel ut uetus tamen ueratur in ore hominum, uel ut nouum refertur. His (ni forte dispergitur) addam quas aniles dicunt fabulas. quales sunt quæ narrantur ad cunas, atq; infantorum uigilias, nam et hæ quoq; ubires ipsa tulerit, afferre iucunditatem possunt. Ponenda quoq; uidentur in hoc ipso genere fabellarum, carmina, & quæ amatoria sunt, & quæ siue ludunt ad citharam, aut tibiam, siue ad uirtutem hortantur, afferrunt enim quoquo modo delectationem auditoribus. Nam quid dendum est de explicationibus historiarum? Quia enim è re maior uoluptas afferri honeste potest, quam è relatione rerum gestarum? Itaq; persæpe etiam seria relaxationem in confessibus inducunt & laborum, & curarum. Sed hoc fortasse ad facetudinem minime spectaverit, etiam si spectet ad recreationem. De quibus ipsis deinceps quidem dicimus, etiam exemplis propositis.

FINIS.